

**De fractura claviculae : theses anatomico-chirurgicae, quas, Deo juvante,
& praeside M. Petro Mathurino Botentuit Langlois ... / tueri conabitur
Franciscus-Josephus Dailliez.**

Contributors

Dailliez, François Joseph.
Botentuit Langlois, Pierre Mathurin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n7epv3dr>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D E

FRACTURA CLAVICULÆ.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ;

QUAS, *Deo juvante & Praefide M. PETRO MATHURINO
BOTENTUIT LANGLOIS, Artium & Chirurgiae Magistro,
antiquo Scholarum Practicarum Professore, tueri conabitur
FRANCISCUS-JOSEPHUS DAILLIEZ, Cameracensis,
præclare Artium Facultatis, in almâ Universitate Parisiensi
Magister, Regis Chirurgus trimestris.*

*Die Martis 31 mensis Decembris, anno R. S. H. 1782,
à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

P A R I S I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS:

PRO ACTU PUBLICO

E T

SOLEMNI COOPTATIONE:



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
Collegii necnon Academiae Typographi, viâ Cithareâ,

M D C C L X X X I I

PRAECEPTA A CIVICIS

ET LITIGIIS

ANATOMICO-CHIRURGICIS

COPIA ET COMMENTARIA A HENRY WALTER MARCHANT
SOPHIA ELLIOTT MARCHANT ET ALICE MARIE MARCHANT
EDITIONES REVISORIAE ET CORRIGENDAE
PUBLICATÆ A SOCIETATE MEDICO-CHIRURGICO-ANATOMICA
TOMUS I. LIBER I. DE PRACTICIS CHIRURGICIS SCIENTIIS
PER HENRICUM DUDLEY MARCHANT

PRÆSTITERAT
IN PRACTICIS CHIRURGICIS SCIENTIIS
PER HENRICUM DUDLEY MARCHANT

LIBER I.

THE MICHIGAN STATE LIBRARY,
CITY OF ANN ARBOR LIBRARY OF CONGRESS

M.D.C.L.XXII



D. O. M.

DE FRACTURA CLAVICULÆ.

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

EO faciliùs frequentiùsque os frangitur, quò gracilis est, aut ictibus magis patet obnoxium. Cùm hoc utrumquè in claviculâ animadvertisatur, sèpissimè rumpi posse liquet. De illius ossis fracturâ disceptaturi, quædam de partium anatome paucis subjecimus.

Clavicula est os longum & gracile, transversè & obliquè in superiori anteriorique thoracis parte, sternum inter & acromion situm. Ità incurvatur ut litteræ *S* italicæ figuram referat, duobusque confletur arcubus sibi oppositis quorum convexitas versùs sternum anterior, versùs humerum posterior.

Quamvis hæc à primâ ossis conformatione pendere videatur curvatura, tamen ab ipso brachii pondere, & à repetitis musculorum contractionibus plurimùm adaugeri constat, & eò magis crescere, quò gnaviùs in operosis laboribus insudatur: ac proindè major in viris, minor in mulieribus appareat, utpote quæ ferendis movendisve magnis ponderibus impares sint. Notandum tamen, si delicatioris homuncionis, & robustæ viraginis ossa conferantur, jam non eamdem adfuturam esse disparitatem, sed etiam tum allatae rationi favebit mutatus rerum ordo.

In corpus & extremitates dividitur, quarum altera anterior inferior & interna, sternalis, altera posterior superior & externa, humeralis nuncupatur. Hæc latior & complanata duas facies, superiorem & asperam, inferiorem & tuberosam, duos limbos, anteriorem & concavum, posteriorem & convexum exhibet. In hujus extremitatis acumine animadvertisit faciecula cartilaginea Ellypsoïdes, obliquè anteriùs vergens ut acromii processui respondeat. Extremitas altera crassior ac veluti triangularis, versùs finem expanditur, & in facieculam cartilagineam convexam & tricuspidem desinit. Hic plurimæ scatent asperitates impressionesve ligamentis aut musculis dicatae. Extremis gracilius est claviculæ corpus; superiùs levigatum, inferiùs asperum & concavum, parùm complanatur. Compactior est corporis substantia, dum versùs fines cellularis tela uberior, & compactæ substantiæ tenuior lamella videtur.

Arthrodiali articulo cum acromio sternoque jungitur clavicula ; & inter hæc ossa non raro offendit cartilago intermedia , hinc & inde lœvigata , quâ frictionis in motu collisio minuitur.

Capsulare ligamentum fibris brevioribus densioribusque conflatum claviculam cum acromio arctissimè continet , ita ut veluti cartilagineo involucro obvolvatur articulus . Confirmatur aliundè duobus funiculis ligamentosis à processu coracoideo ad inferiorem humeralis extremitatis faciem protensis .

Simili ligamentorum fibrarumque arctissimâ compagine cum sterno constringitur clavicula ; plurimique fasciculi ab hujus extremitatis circuitu ad articulum transeunt , ibique capsulari ligamento , ut & cartilagini intermediæ , si adsit , adhærent ; dein circa superioris scissuræ margines sterno inseruntur : ex iis fibrarum fasciculis unus à cæteris divaricatur , ad superiorem primæ costæ cartilaginis faciem procedit , & propè ipsius cum sterno articulationem alligatur . Retinentur etiam claviculæ longo firmo-riue funiculo qui ponè post sterni furcam inter eas protenditur , diciturque interclaviculare ligamentum .

Claviculæ septem inseruntur musculi , nempè prope ejus cum sterno articulationem sterno-mastoideus , sterno-thyroideus , & sterno-hyoideus : in inferiori facie arcūs posterioris seu externi , subclavius : in posteriori limbo versùs humerum , cucullaris : in anteriori deltoides & pectoralis major : hic sternalem , ille humerale regionem occupat .

Annotanda tandem veniunt subclavia vasa , arteriæ scilicet & venæ quæ ponè & infra claviculam sita , inde nomen suum sortita fuerunt . Hujus ossis fracti asperitatibus aut lœdi ; aut aperiri possunt , undè aut aneurisma periculosissimum , aut lethalis hæmorrhagia nasceretur .

Ad id infervit clavicula ut scapulæ summitas huic ossi veluti *anteridi** innitatur, impeditque quominus antrorsum nimis feratur brachium: quo sit ut ad varios motus exercendos promptius sit. Inde in brutis quæ ad incedendum tantum pedibus anterioribus utuntur, desiderantur claviculæ, adsunt verò in simiis & aliis quæ, humano more, veluti manuum usum habent.

Ubi à quâcunque externâ & contundente causâ rumpitur clavicularia, fractura audit.

Transversè vel obliquè, in medio vel in extremitatibus, in uno loco vel in pluribus frangi potest: hinc frequentiores ejus fracturæ differentiæ. Aliquando tamen ossa in plurima fragmenta dissiliunt quæ lœdunt vasa, irritant nervos, cutem nonnunquam perfodiunt. Sæpè etiam adest major minorvè partium vicinarum contusio, muscularum dilaceratio, collectio sanguinis, inflammatio, abcessus; graviora demùm subsequuntur accidentia, quæ, si adsint, jam non simplex sed composita aut complicata fractura dicitur.

Omissis generalibus fracturarum causis, peculiares quædam in eo osse reperiuntur quibus sæpè frangi potest. Enim verò gracilis est quam ut vi externæ graviori resistere possit: transversè ponitur, ac proindè facilius percutitur; extremitatibus tantum innititur, corpusque fulcimento caret; scapulæ demùm & humeri pondus anteriùs sustinet; hinc impulsus gravior in hæc ossa ad claviculam aliquando transmittitur, & illæsis prioribus his ossibus, eam frangit.

Accidentia ejus fracturæ, ut in omnibus aliis, triplicis generis distinguuntur: nempè primaria, quæ fracturam ipsam comitan-

* Arc-boutant.

tur, ut **vulnus**, **hæmorrhagia**, **contusio**; **secundaria**, qualia sunt **febris**, **dolor**, **convulsio**, **inflammatio**, **abcessus**: **subsequentia**, ut **ossis curvatura**, **deformitas** aut **debilitas calli**, **partium fractarum** super se invicem **ascendentium illegitima conferruminatio**, ac proindè **musculorum difficiles motus**, **vasorum nervorumve compressio**, &c.

Certissima **fracturarum signa**, **crepitatio**, & **fragmentorum mobilitas**, **fractâ claviculâ** facilè deprehenduntur, ut potè quæ cuti subjacens, nullis ferè contegatur **musculis**. Oculis sæpè sæpiùs aut saltem digitis statim **fractura** dignoscitur. Extremitas humeralis & scapulæ pondere, & deltoidis subclaviique contractione depressa infra alterum fragmentum descendit quod nullâ vi distractum, aut etiam sterno mastoideo retentum in suâ sede remanet. Ac proindè hinc **depressio**, hinc **eminentia** & **visa** & **tactu** percipiuntur. Sin autem, ut in viris obesioribus, crassâ pinguedine **coniectum** os exteriùs minùs promineat, tum alia suppeditant signa quæ obscuriorem **diagnosim** confirmabunt: scilicet, ruptâ claviculâ, deficiente fulcro, statim ad pectus inclinatum propendet brachium, nec sursùm ab ægro tolli potest; scapulæ summitas deprimitur; brevis inter sternum & acromion spatiū videtur, ac tandem si paululùm hinc & inde sinistrâ commoveatur brachium, dum dextrâ sedulò clavicular interrogatur, etiam eo casu dubium omne tolli poterit. Quod verò ad **fracturæ speciem** attinet, si attentè differentiæ recolligantur, facilè qualis sit **fractura** dignoscetur.

Licet periculi **expers** ut plurimū **claviculæ fractura**, tamen fausta nimis non est pronuntianda **prognosis**: pro variis **verò fracturæ speciebus** diversa **judicari** debet. Si sit **simplex**, trans-

versa, felix præsagietur exitus; contrà verò, si sit obliqua, vel accidentibus complicata. Quæ fit in pluribus locis periculosior quām quæ fit in uno tantūm loco. Si adsint fragmenta quibus aut lœdantur nervi & vasa, aut cutis perforetur, pessimi erit ominis. Tandem quamvis perfecta & omnibus numeris absoluta sperari possit curatio, verba prudens reprimet Chirurgus, judiciumque cautè coerebit, aut saltem aliquid triste minabitur, ne ex audacioribus promissis conceptæ spes, aut imprudenti ægri motu, aut minimâ Chirurgi in osse deligando incuriâ ex improviso funditus evertantur.

Verùm enim verò quidquid ad retinenda in situ naturali fractæ claviculæ fragmenta, sive inter veteres, sive inter neotericos ex cogitaverit sagax Chirurgorum industria, nulla huc usque methodus constanti felicis praxeos usu ita invaluerat, ut de ipsius efficaciâ aliquando dubitari non posset. Ut enim facilè & nullo ferè negotio in suam sedem compelluntur ossa, ita ægrè admodum, maximis tamen tantūm cautionibus adhibitis, & felici duntaxat circumstan tiarum concursu contineri possunt. Rupta fuerit clavícula, si genu inter scapulas posito earum summitas retrò & sursùm fortiter attrahatur, uno eodemque tempore, uno eodemque nisu fit extensio & contra extensio; tumque Chirurgus digitis apprehendit ossa, reducit, confirmat, & ad situm naturalem eò faciliùs revocat, quò hæc ipsa ossa magis prominent, minùsque muscularis operiuntur. Hæc omnia in promptu: sed nihil adhuc egit Chirurgus nisi reducta ossa per debitum tempus contineat: & idcirco desideratur fasciatio quæ firmiter jugiterque ineluctabilibus ægri motibus resistat, eundem semper adstrictionis gradum servet, facile renovari possit, variaque pro re natâ topica applicandi facultatem præbeat. Hic maximus est difficultatis nodus quem solvere tentârunt

tentârunt in arte periti, qui verò forsitan adhuc intricatissimus remaneret nisi in promptu foret thorax manicatus à celeberr. Brasdor excogitatus: quem cum cæteris omnibus mediis longè præstare contendamus, hunc unicum admittimus, & quo modo eo deficiente, fasciatio ad ejus exemplar institui possit, explicabimus.

Ut maxima ex manicati thoracis usu percipiatur utilitas, varia sunt, ut in cæteris methodis, sedulò observanda artis præcepta. Ac primò quidem in humiliore breviorique scamno collocatur æger; corpus erigere, scapulasque & humeros retrò vertere jubetur, ut ministri, qui post ipsum positus, genu contra exten-sionem, manibus extensionem ad Chirurgi nutum exercet, cona-tibus faveat. Modò sursùm tollendus est humerus, modò ad rectum angulum elevatus, anterius ferendus est: quos motus indicabit ossis major minorve depresso, dirigitque sagax operantis prudentia. Tum disponitur thorax manicatus, brachiis ægri per manicas missis, retrò coarctatur usque dum extremitates fractæ sibi respondeant, & ita ministri humeros retrahentis vices gerit, deindè ægri zonæ, ne sursùm nimis ascendat, alligatur. Quod si verò deficiat thorax manicatus, sic ejus defectu primaria instituetur fasciatio. Splenium longius transversumque ponè dor-sum supra scapulas ponitur: tum celebratur decussata fasciatio vulgo *huit de chiffre* dicta. Cum autem hæc sola humeros non contineat, breve vel strictissima relaxetur, singulo quoque circuitu summitatem scapularum in manicæ formam hinc & indè alternis amplectitur fascia, ita ut per hanc manicæ speciem traducatur splenium transversum de quo suprà. Tum hujus splenii extremitates ad se invicem adducuntur, constringuntur, & acicu-

larum ope in medio dorsi continentur. Sic scapulæ firmiter retrovertuntur & sin minus ad similitudinem refertur thorax manicatus, saltem ad imitationem adumbratur.

Deinde, uti præcipiunt auctores, linamentum carptum medicamine quovis resolutivo imbutum & infra & supra claviculam circumponitur, ut exsiccatum ad ossis figuram se fingat, & veluti semi canali exteriùs saltem fracturam contineat. Decussata splenia vulgò usurpata rejicimus eò quod ad deprimenda tantum fragmenta inserviant, contrà verò excitandum potius sit fragmentum humerale quam deprimendum sternale: illud enim solum mutat locum, hoc in suâ sede remanente; & si fortius comprimatur, curvatur os contra naturam, aut etiam, quod gravius, contunditur cutis, acutisque fracturæ fragmentis perforari posset: posteà charta crassior, spleniumque quadratum adhibentur, celebratur fasciatio *Spica* dicta quæ omnem apparatus contineat, & mitellâ brachium suspenditur. De cæteris, omnia Chirurgi prudentiæ permittenda, qui pro vario rerum statu aut fasciationem renovabit, aut diutiùs remanere jubebit, ac demùm accidentia, si quæ sint, debellanda in se suscipiet. Unum tantum monitum volumus, nempe in eo consistere curationis omnes successus, ut ab omni motu cautissimè abstineat æger præsertim si deficiat thorax manicatus. Notum est enim ita inter se consentire musculos, ut aliquando ad unius actionem vel remotissimus contrahatur. Erit igitur operæ pretium ægro quietem imperiosè præcipere, eique penitus in animum injicere, levissimo sed imprudenti motu maximas spes concidere posse.

F I N I S.